109
B 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

[illegible] met A. 295

KW 109 B 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

Heidanus oratione Funebri anno 1669. parentavit J. B. à Thienen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

ADRIANI BEECKERTS à THIENEN

PANEGYRICUS,

Auctoritate Nobiliſſimorum Academiæ, quæ Lugduni in Batavis eſt, Curatorum, & Ampliſſimorum Civitatis Conſulum,


DICTUS,

ILLUSTRI ET STRENUO VIRO,

CORNELIO WITTIO,

Conſuli Dordraceno, Academiæ Curatori, Ruardo à Putten, aliiſque dignitatibus cumulato.

VII. *Idus Novembres Anno* cIↃ IↃC LXVII. *in auditorio Theologico.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud Viduam & Hæredes JOHANNIS ELSEVIRII,
cIↃ IↃC LXVII.

KONINKL. BIBLIOTHEEK 'S HAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'S HAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

Viro Illuſtri & Strenuo,

D. CORNELIO WITTIO,

Academiæ Curatori, Ruardo à Putten, aliiſque dignitatibus cumulato.

ADRIANUS BEECKERTS à THIENEN

S. P. D.

Non debui alterius patrocinio committere, nobiliſsime vir, ſermonem hunc, poſtquam muſeum egredi debuit, quam illius, cujus in honorem eſt habitus. Itaq; recipe, quæſo, eum liberali vultu, & ab invidia protege. Nihil illi detrahere, aut addere auſus fui, ne aliter illum legeres, quam audiviſti; dedi illi, indigne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

credo, nomen Panegyrici, quia materia requirere videbatur. Breve (tale enim eſſe debuit) & tumultuarium eſt opuſculum, & propterea ſi apud te incuriæ excuſationem invenerit, ſatis gaudeo; ut apud alios inveniat, non magnopere laboro. Vale multum, Lugdun. Batav. III. Idus Novembres, CIↃ IↃC LXVII.

Sum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

Summam vos, auditores, inceſſiſſe admirationem, quod præter conſuetudinem profeſſorem juris, ut oratoris partibus fungeretur, hujus auctoritatem loci contingere videtis: imo aliquos, quibus præſentis diei ſolemnitas innotuit, quod non alii potius quam mihi ardua ſed pulchra provincia mandata ſit, jure quodam muſſitare, minime miror. Verum ſi id, quod res eſt, dicere licet, haud difficulter veniam me ab omnibus impetraturum confido. Teſtor enim viros illos, qui huic ſacratiſſimo loco temploque præſident (neque ſanctius numen præſens hic conſpicitur) mihi, modeſte & quantum licuit repugnanti, ab ipſis injunctum, ut CORNELIO WITTIO, conſuli Dordraceno, Academiæ Curatori, & pluribus aliis honoribus illuſtri, fortiſsimo & ſupra encomia viro, poſt tot exantlatos pro republ. labores, ſalutem & reditum in ſacram hanc arcem gratularer. Et quid facerem, auditores, cum ſola obſequii gloria mihi relicta fuerit. Ad illud itaque, ad quod omnes virtus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

viri & occaſio invitavit, me neceſsitas & ſuperiorum traxit auctoritas. Non quod non totum illud, quantulumcunque ſit, quod in me deprehendo, in laudem tanti viri lubentiſsime impenderim, ſed quod & negotii difficultas & temporum laſcivia, cui nihil frequentius, quam ut ex uno actu totum hominem ejuſque exiſtimationem judicet, me revocaverunt. Quid enim difficilius, quam ipſam virtutem laudare? quid auribus magis adverſum, quam præſentem dicere? Vna viri dignitas me conſolatur, quod juſtas gratias illi dicturus ſum, cujus maximis & immortalibus meritis liberos noſtros, conjuges, vitam & quæ vitæ præponenda eſt, libertatem conſervatam cuncti debemus. Bellum quod Carolo II. magnæ Britanniæ rege nobiſcum Angli geſſerunt, prolixe narrari temporis anguſtia non patitur. Erit illud hiſtoricis aliquando fœcundiſsima ad ſcribendum materies. Nihil autem de illo dici inſtituti mei ratio non permittit. Itaque à quo tempore humanum in terris nomen notum fuit vix validio-

lidiores opibus civitates genteſque inter ſe arma contuliſſe: nunquam tantas in oceano claſſes eſſe viſas, denique nunquam tam pari ſpe, tam æquis utrimque viribus, cum fiducia ſui ſine hoſtium contemptu dimicatum fuiſſe legimus. Æſtate una centum circiter & viginti navium claſſem ultra triginta millia hominum & tormentorum quinque millia ferentem, cum pari hoſtium claſſe plenis viribus ſæpius conflixiſſe poſt ſæcula fortaſsis fidem non inveniet. Imo totum triduum ſine intermiſsione pugnatum, præter quam tenebræ facerent, nunc in hanc nunc illam partem inclinante & quaſi de induſtria inter fortiſsimos viros certamen æquante fortuna, pugnatum fuiſſe nobiſmet ipſis, niſi vidiſſemus, incredibile videretur. Et quanquam tantis viribus, odiis tamen majoribus, quaſi in theatro orbis de fortitudine alterutrius gentis judicaturi, concurſum eſt. Angli pro imperio & marium quod ſibi jam titulis vindicaverant dominio; Batavi pro gentis gloria & libertate pugnaverunt. Et tamen iis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

temporibus poſt tot diſcrimina hoc unum vere judicari potuit, utriuſque opes atrocitate cladium ita contritas fuiſſe, ut propius periculo fuerint, qui vicerunt; certe, hoc ſibi mutuo gratulari poſſent alterum ab altero ſuas vires edoctum, toti univerſo terribile illud virium experimentum exhibuiſſe, à quo reliqui populi juſtiſſime ſibi timeant. Nemo igitur miretur ſi ea res patriæ noſtræ Patres quam maxime habuerit ſollicitos. Videbant ærarium exhauriri, negotiationes contabeſcere, eumque eſſe rerum ſtatum, ut etiamſi ſingulis præliis ſuperiores eſſemus, bello tamen vix fieri nos poſſe, & talem eſſe Angliæ ſitum, ut vel ſolam piraticam faciendo maximam partem conſumere nos poſſent: accedere gentis in propoſito firmitatem, inſularum amplitudinem & opes, multum jam Chriſtiani ſanguinis invicem hauſtum & ſemper graviorem in paucitate jacturam eſſe prudenter perpendebant. Ergo omnia extrema eſſe tentanda, remque aut in tuto collocandam aut, ne libertas tanto ſanguine parta vili venderetur,

retur, indomita cervice, in armis moriendum eſſe cenſebant. Cumque multorum annorum experientia docuiſſet, quam faciles in maritimis bellis eſſent excuſationes, & navibus præfectos nunc tempeſtatem, nunc adverſum ventum, nunc nimiam cauſari tranquillitatem, aut alium occaſionis, oſtendendæ virtutis, defectum, (cum eam vel non adeſſe ipſi gaudeant, vel ſeſe ſponte offerentem turpiter negligant) placuit, ſummo claſſis præfecto viros quoſdam adjungi, quorum invicti animi robur, & in difficillimis rebus prudentia & fides perſpecta erant; tum ut ipſis navium magiſtris auctoritate adeſſent, tum ut viri fortes ſuarum virtutum teſtes haberent, ignavi vero ſcirent, præſentes adeſſe deos, qui eorum ignaviam ulciſcerentur, neminique in bello bis peccare licere, docerent. Electi Rutgerus Hugenius in conventu fœderatorum Ordinum nomine Gelriæ tunc delegatus, nunc magno patriæ ſuæ, & omnium dolore, propter præclara merita, fato functus, Johannes Wittius, primus Hollandiæ mini-

ſter & Johannes Borelius, Conſul Medioburgenſis, præſentiſſimo animo viri. Eo tempore prope Norvegiam cataplus ex India Orientali redux in anchoris ſtabat. Hunc cum Angli ſæpius nequicquam expugnare tentaſſent, obſeſſum tenuere, donec noſtram adventare claſſem, qua comite in patriam deduceretur, audivere. Jam favere Batavorum cœptis, illiſque tutum & patens per æquora iter præbere cœlum videbatur, cum ſubito inhorruit mare & maligna tempeſtas peragens mandata fatorum, totam claſſem ita diſſipavit, ut naves aliquot ventos ſequi coactæ in Anglorum poteſtatem, reliquæ non niſi ad interitum laceratæ in patriam pervenerint. Fuitquè hæc clades ideo funeſtior, quod nunquam ante claſſis aut majoribus copiis, aut firmiore ſui fiducia mari commiſſa fuerat. Verum aliis viris & temporibus triumphus ſervabatur. Quamvis enim præcedenti æſtate, ſummus claſſis dux Michaël Ruiterus, vir non generis patrocinio, verum virtute, quæ ſola nobilitas eſt, per omnes ſtipendiorum gra-

dus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

dus ad id dignitatis faſtigium evectus, poſt continui quatridui pugnam Angliæ claſſem plane debellaſset, tamen illud fortiſsimis viris majus ad vindictam incitamentum fuiſse, poſtea vidimus. Quippe intra menſem Angli impatientia iræ, ultionem injuriæ acceptæ ulterius non differentis, duce Monckio altum tenuere. Et, quod mirandum, non minor claſsis apparuit, quam quæ fuſa paulo ante fugataque in latebras ſuas receſſerat; adeo ut non arte factæ, ſed fato quodam converſæ,& in naves mutatæ arbores viderentur. Huic cum ſua claſſe obvius factus Ruiterus tam acriter cum hoſte conflixit, ut non alium funeſtiorem diem Angliam habuiſſe, ipſi victores in omne ævum ſint confeſſuri. At multorum ex noſtris ſive ignavia, ſive imprudentia factum eſt, ut ad hoſtem viſa ſit inclinare victoria, frendente ante omnes Ruitero, quod, nulla amiſſa navi, ſuorum culpa recedere cogeretur. Quamvis enim victus non erat, ſciebat prudentiſsimus imperator bella fama conſtare, eumque qui recedit, etiam

tunc fugere credi, cum receſſus militaris obſequii ſpeciem habet. Poſt hæc cum iterum claſsis noſtra exiret, Ruitero adjungitur ſolus JOHANNES WITTIVS, ut ſi qua ſors præfectum ſuſtuliſſet, ducem claſsis non deſideraret. Ecce, quaſi in experimentum tanti viri ſic ſtruente fato, mox Ruiterus tam periculoſo morbo corripitur, ut auctoritate fœderatorū Ordinum, quo facilius illi medicina adhiberetur, domum revocaretur, & ab illo tempore claſsi præfuit JOHANNES WITTIVS. Quid ille ſtatim non egit, quod maximum imperatorem agere oportuit? Ille hoſtem veſtigat, ſuos præparat, & poſtquam in conſpectum hoſtium claſsis veniſſet, ut imperatorem decuit, *optimam ſe de omnibus ſpem, animo ſuo concepiſſe*, ait, *per Deum ſe immortalem rogare, ne cauſa eſſent, ut ejus ſe pœniteret; & ne quis Ruiterum abeſſe reformidaret, ſuo exemplo illum ſe exhibiturum, eoque ſe potius, quam verbis, illos ad pugnam adhortari velle. Et ſi juſta ac pia bella averſari Deo placeret, ſibiq; victoribus eſſe non liceret, utcunque licitum fore honeſte mori.* Hæc ſe fortibus viris dicere ajebat, ignavis dicen-

cendum fuiſſe, *adeſſe crudeliſſimum hoſtem, navibus pugnari, non terra, victis & ſeſe dedentibus, carceris ſqualore, ignave pugnantibus flamma vel mari, fugientibus infami morte eſſe pereundum; neminique, præter victores, tutum in patriam reditum patere.* Jamq; ad teli jactum perventum erat, cum Angli vela vertere, & noſtris congrediendi ſummam illam libidinem eripere. Nunquam tanta arte & prudentia aciem maritimam ab aliquo duce inſtructam fuiſſe, quanta noſtram inſtruxerat J. Wittius, ipſi hoſtes teſtantur. Salve igitur ſæculi noſtri felicitas & gaudium! ſalve temporis noſtri Luculle! Hic enim quanquam adoleſcentiã in forenſi opera, quæſturam in Aſiæ pace conſumpſerat, attamen miſſus à Senatu ad difficillimum bellum Mithridaticum rei militaris propemodum rudis, *cum totum iter & navigationem conſumpſiſſet partim in percunctando à peritis, partim in rebus geſtis legendis & in Aſiam factus imperator veniſſet*, ingenii ſui magnitudine ſummos & æquavit & ſuperavit imperatores. Habetis, auditores, eorum quæ ad elapſam noviſsime æſtatem nobis cum

Anglis interceſſere, qualecunque compendium. Proxima hac æſtate claſſi & Patriæ per Dei gratiam redditus eſt Ruiterus, legatuſque auctoritate Ordd. fœder. toti maritimæ expeditioni præpoſitus eſt Cornelius Wittius, vir fratri ſuo J. Wittio conſilio & magnitudine animi par, ætate major, mandatumque ut caveret, ne quid Batavorum Reſp. detrimenti caperet. Illo igitur præſidio munita Batavor. claſſis nuper ſe mari commiſit, ſtetitque omnibus illa ſententia, ut in ipſo Tameſi hoſtem aggrederentur, ſi aperto mari eum obvium non haberent. Jamque multis agitata procellis ad mediam æſtatem Angliæ oras pars claſſis contigerat: deliberantibus ducibus, an pars claſsis quæ aberat, maximumque militum numerum portabat, opperienda, an cum præſentibus copiis fortuna tentanda foret, Miltiadis conſilium, plus præſidii in celeritate quam in copiis eſſe, auctore Cornelio Wittio prævaluit. Præpoſitus igitur decem & ſeptem, præter incendiarias, navium levioribus, vir nobilis, & ſpectatæ virtutis

tutis Guilhelmus Joſephus Gentius, juſſuſque ut Londinum verſus curſum deſtinaret,& pro re nata & ſua virtute in hoſtem ageret. Et ne uſquam non imperatoris ſimul & militis munia obiret, ipſe periculoſæ hujus expeditionis auctor C. Wittius ſocium ſe & conſiliis & periculis offert, eandemque cum Gentio navem conſcendit. Res quæ nunc narratur, olim memorabitur: aliter in mari, aliter in ipſis hoſtium portubus bella tractari. Quod arcanum quis quæſo toti orbi, inprimis autem patriæ ſuæ, quam C. Wittius patefecit. Interim appropinquat latebras, cuncta ordinat, ſuos alloquitur & militari oratione addit animos, dicens, *Primos ſe omnium mortalium regias naves in conſpectu Londini oppugnatum venire, pedemque ſiſtere, ubi nullo fugæ relicto loco, aut glorioſe vincendum, aut fortiter moriendum eſſet: nihil optatius ſibi accidere potuiſſe, quam ut eo in loco dimicare liceret, ubi ipſos hoſtes virtutis ſuæ & propriarum cladium teſtes eſſent habituri: ſumerent modo eos animos, quibus Batavorum virtus invicta hactenus*

 nus

nus ſtetiſſet : ſe quod attineret, aut in omnium oculis moriturum, aut univerſo terrarum orbi hodie oſtenſurum, quam falſo marium dominium hoſtis ſibi adſcriberet. Hæc eminens corpore, vultu adeo hilari, ut viciſſe putares, dicebat. Interea hoſtis claſſem noſtram appropinquantem videns, & ad inauditum antea facinus obſtupeſcens, naves ſuas propius Londinum reducit, infandæ molis catenas in Rutupino flumine expandit, & ne quis omnino aditus noſtris pateret, immenſæ magnitudinis naves in eodem flumine & in Tameſi mergit. Sed eo non minus conſtans & propoſiti tenax C. Wittius, nihil tam arduum in natura eſſe, quo non virtus poſſet eniti, ſuo experimento monſtravit. Quippe per irruentes plenis velis naves partim fractis, partim ſuperatis catenis, & tormentis, quæ ex adjacentibus arcibus ſine intermiſſione intonabant, ſpretis, hoſtium naves aggreſſus, omnes, pauciſſimis elapſis, aut cepit, aut exuſsit; unoque triduo majorem Angliæ cladem intulit, quam alii toto ſæculo imperatores. Quem vobis immen-
ſæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

ſæ victoriæ fingam titulum, auditores?
Captæ & in fines noſtros perductæ duæ
naves, interque eas prætoria, regis ſui
nomine inſignis: octo exuſtæ, quarum
tres ſolæ CCXL. tormenta ferebant. Taceo
quas hoſtes ipſi, ne in noſtram ditionem
pervenirent, perdiderunt & merſerunt.
Captæ inſuper plures inſulæ & arces,
ex quibus omnis belli apparatus per
claſſem noſtram diſtributus eſt. Et quaſi
hæc levia eſſent, ipſum Londinum tamdiu
obſeſſum tenuit, donec hoſtem, pacem
ignorantem, incommodo belli illam
doceret. Bone Deus, quæ non à me, nedum
à diſerto oratore in præſens dici
poſſent, niſi me & præſentia & modeſtia
viri retinerent. Hoc breviſsime dicam,
neminem eo impudentiæ unquam
deveniſſe, ut tanta tacitus fuerit auſus
optare, quanta per C. Wittium proxime
facta ſcimus. Et cum tanta geſſeris, patere
fortiſsime heros, tibi præſenti maximas
gratias agi ab iis, qui ſe majores debere
profitentur. Tu copiis Reipublicæ,
tuis conſiliis, tuiſque divis, Tameſis
clauſtra reſeraſti, & comitibus defenſo-

ribuſque ejus devictis, omnibus aperuiſti. Tu fortitudine & magnanimitate tua hoſtem terruiſti, docuiſtique, quam præ reliquorum animalium ferocia atque impetu, ſit nobilis ira leonis. Nam cum victoria uti poſſes, manſuetudine & clementia tua monſtraſti, quam parum Chriſtianos deceat fraterno ſanguini non parcere, & pio exemplo, in hoſte officii ſui memoriam, tuique æmulationem excitaſti. Tu patriam, liberos, conjugem prægnantem, multaque alia, quæ viros fortiſſimos detinere ſolent, neglexiſti, ut patriæ gloriam, civibus quietem, Oceano libertatem reſtitueres. Hoc pueri pariter & ſenes, providi & imprudentes, omnes & ſinguli teſtantur, profitentur, lætantur; exclamaturi, niſi omnium nomine à me diceretur. Cumq; per Dei gratiam incolumis & integer nobis redditus ſis, illum precibus ardentiſſimis orant, ut hoc Bataviæ columen ac ſidus, quod nos hoſtium ſincere victores fecit, velit eſſe diuturnum. Nam

Te propter, gelidis aquilo de monte procellis
Obruit adverſas acies, revolutaque tela

Vertit in auctores, & turbine reppulit haſtas.
O nimium dilecte Deo! cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

PETRI FRANCII
ELEGIA,
AD
Illuſtrem & Fortiſſimum Virum,
CORNELIUM WITTIUM,
Conſulem Dordracenum, Academiæ Curatorem, Ruardum à Putten, &c. à feliciſſima in Angliam expeditione reducem.

Nunc ego devictos Grajo ductore juvencos,
Herculis & valida monſtra ſubacta manu;
Nunc quibus inſurgit fœcunda laboribus Hellas,
Factaque Pellæi prodigioſa ducis;
Omnia nunc credo magnæ miracula Romæ.
Invenere ſuam ſæcla vetuſta fidem.
Nulla viris occluſa via eſt. & cuncta parari
Wittiadæ virtus indubitata probat.
Teſtis erit noſtra concuſſa Britannia claſſe,
Hunc ſibi ſupremum ducere viſa diem.

Ignibus

Ignibus exuſtas deploratura carinas,
Inque Caledonio naufraga roſtra mari.
Teſtis erit vaſtis vix agnoſcenda ruinis
Londinum, gemino pene cremata rogo.
Et qui ferratis Tameſis devincte catenis
Libera vix famulis exeris ora vadis.
Gurgitibus rapidas nequiiſti vincere flammas.
Auxiliatrices nil valuiſtis aquæ.
Obſtupuit trepidus vicina incendia Nereus,
Atque illo primum tempore fratre minor.
Magnanima fidas hortatur voce cohortes,
Et præit admonitu Wittius *ipſe ſuo.*
Illius ad nomen pulſi fugere Britanni,
Cumque animo puppes deſeruere ſuas.
Noluit ulterius flammis victricibus uti.
Et debellatas miſit in alta rates.
Advolat in ſummos effuſa Batavia plauſus,
Dum ſubeunt noſtros vela Britanna ſinus.
Conſtitit attonitus, ſeque adſpexiſſe negavit
Geſta oculis Titan nobiliora ſuis.
Barbara nunc cedant ævi monumenta prioris,
Et quicquid veteres obſtupuiſtis avi.
Illud poſteritas toto meditabitur orbe.
Hanc ſibi materiem Calliopea velit.
Salve amor, invictis ſalve tutela Batavis!
Acclamat reduci patria tota tibi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

Aurea Libertas in te defeſſa recumbit,
Et patrocinium credidit omne ſui.
Per te ſub grata placidi requieſcimus umbra.
Hæc tuus in Batavos otia donat amor.
Gaudent afflictæ, te defenſore, Camenæ.
Quæque tibi Pallas ſemper amica comes.
Illius exemplo, ne ſolo Marte valeres,
Muſarum fieri tu quoque Numen amas.
Docta, ſupervacuam nunc Ægida deſpice, virgo,
Hoc ſub præſidio tuta, Minerva, lates.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19

f: 16:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
109 B 19